
OCTAVII CAIETANI
SYRACVSANI
E SOCIETATE IESV
IDEA OPERIS
DE VITIS SICVLORVM SANCTORVM
Famaue Sanctitatis Illustrium
Deo volente
BONIS IVVANTIBVS
IN LVCEM PRODITVRI.








PANHORMI.
Apud Erasmum Simeonem, & Socios, A. D. CIↃ IↃC XVII.
Superiorum Permissu.






IDEAM Operis P. Octauij Caietani, Societatis IESV, de Vitis Siculorum Sanctorum, famauæ Sanctitatis Illustrium, a pluribus Theologis, virisque eruditis ante recognitam, & probatam, cum Illustriss. Dominus meus S. R. E. Cardinalis DORIA, Archiepiscopus Panhormitanus, accurate quoque perlegisset, approbauit,& tamquam pignus egregij Operis, censuit omnino typis mandandam: vt quam citissime quotquot possunt, animum expleant Auctoris, opem ab omnibus exposcentis. ne Opus iam diu, ac merito quidem certe expectatum, luce ipsi debita, cum magno bonorum desiderio diutius careat. In cuius rei fidem haec scripsimus, Panhormi die VIII. Decembr. A.D. CIↃ IↃCXVII.

Illustriss. Dñi mei Cardinalis iussu

D. Franciscus Bissus, Prior SS. Trin.^{mae} Deliae^{tis}, V.G.



ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. DOMINO

D. FRANCISCO COMITI CASTRIO

PROREGI

ET TOTIVS REI BELLICAE SVMMO IN SICILIA PRAEFECTO.



HISTORIAM molior, Excellentissime Comes, Sanctorum Hominum, famaue sanctitatis illustrium, quos Insula Sicilia tulit, ab exoriente Christi fide, ad nostra tempora. opus indigenis omnibus diu percupitum; sed intentatum nemini: vtpote arduum, antiquitate ipsa obseptum, magnisque difficultatibus impeditum: eoque principalis opis indigum. Proregum primus Comes Albadelista, auctore ac monitore P. Nicolao Faranda ex Societate nostra, componendis Sanctorum Siculorum vitis, Sicula tabularia perquiri iussit. subinde Comes Oliuarensis languescenti industriæ institit, sed rectore, ac principe tenebrarum harum, splendoribus Sancto-

rum aduersante, obiectuque impedimentorum Historiæ molem retardante, necessaria vis maior fuit, quæ impeditam rem expediret, remissamque operam intenderet. itaque Philippus, huius nominis II. Hispaniarum, & Siciliæ Rex, belloque, & pace magnus, literis ad Comitem Oliuarensem scriptis v. Idus Iulij, anno post Christum natum CIↃ IↃ XCV. opus prope depositum concitauit. sane Rex laude dignus, aemulus studiorum Constantini Magni, qui parta Ecclesiae pace, certamina fortissimorum Martyrum toto terrarum orbe conquiri iussit, vt trophaeorum instar, exemplo posteritatis manerent. multos post annos, idem a Carolo Magno praestitum, Barbaris in Europa compresis. semper magnis principibus praecipua cura Religionis fuit, (qua pernossent, imperia firmari, florere regna) tuendaeque Historiae Sanctorum hominum, quibus munimentis illa consisteret. in haec studia, coetumque magnorum principum vocant te, Comes Excellentissime, cum auita nobilitas tua, tum pietas, & excelsitas animi tui. nam satis constat, auctores sanguinis tui vetustos esse, clarosque rebus gestis. at nobilissimis Hispaniarum stirpibus, Castria, & Sandoualia, non aliae virorum fecundiores extitere, qui domi, militiaeque, magnam gloriam adepti. Sandoualiae quidem familiae principes, Dux Lermae, filiusque Dux Vçedae, opibus, honoribusque praecellunt: summa rerum Hispaniensis imperij, quemadmodum gemmae a Plinio dictae, in arctum coacta rerum naturae maiestas: sed in Castria familia, duo Fratres, nati vltimi, facinoribus egregijs primos anteitis

clarissimus, & sapientissimus vir Petrus Fernandius, Lemensium Comes, Philippo Regi consiliorum intimus, & Italiæ Praeses, post administrationem Neapolitani Regni; qua, ante Fratrem, perfunctus eras; gloria maiori natu praerepta. siquidem ille regnum diu, tu primus rexisti, & extrema pene pueritia. enimuero parente optimo, Prorege Neapolis decedente, regendi onus, teneris humeris impositum, strenue tulisti: ac maiore gloria, quam pater: haud dicerem, quod aegre pateris audire, nisi Pater tuus commemoratum a me vellet; sibique pretij satis esse gloriaretur, habere auorum vestigijs insistentem filium, a quo superetur. Ab eo munere, Legatus ad Rempublicam Venetam a Philippo Rege missus, deinde ad Paulum V. Pontif. Maximum. quanta laus tua, adolescentem id aetatis, tot inter Hispaniæ proceres delectum, qui summo mundi fastigio, grauissimarum caussarum Orator, adsisteres? ea ex legatione, regendae Siciliæ praepositus, aduentu in Insulam tuo, auxisti vitijs metum, securitatem virtutibus: nullis alijs praesidijs, quam vitae tuae; quae improbis, scelerum vindex est; probis, magistra morum. cetera reticemus; neque enim panegyricum, sed epistolam scribimus. perge, Praestantissime Comes, praebere famae alimenta gloriæ. quod egregie quidem præstas, dum multarum rerum capacem animum a caussis, iudicijsque, & rerum publicarum consultationibus, ad publicas Religionis curas identidem transfers. at Sicilia, cui praees, id te precatur; vt qui lacte pietatis altus es, & in sinu sapientiae

edu-

eductus, eius Religioni, literisque subsidia, & decora molientibus ingenijs opem feras. Igitur primam exorientis Historiae meae facem, quasi cursu lampada acceptam, ad exteras regiones transmitte. vt qui te amant, (amant omnes, ad quos tuarum virtutum fama peruenit) qui nomen tuum reuerentur, Ideam cum tessera Castria amice accipiant. quod maxime velim; probent, pium opus meritissime dicatum a me tibi, quo nemo sit, qui pietatem officiosius colat, illustre sidus caelestis animi tui. certe quidem id tibi debere me sentiebam, non modo vt Historiae Siculae Patrono, & de pietate benemerenti, sed pro ingentibus in Societatem nostram promeritis, grati, & beneuolentis animi tenue monumentum, sed anuli instar, maiora protracturum. Vale, precorque Diuinum Numen, vt diu viuas, Reip. bono. Panhormi, kal. Decembris, Anno a IESV CHRISTI exortu CIↃ IↃ C XVII.

Excell. T.

Deditiss.

Octauius Caietanus Societatis IESV

SICILIAE INDIGENIS EXTERISQVE BONARVM ARTIVM RELIGIONISQVE CVLTORIBVS.

FORMAM operis, quod inopia otij lente molior, de Vitis Sanctorum Hominum, famaue sanctitatis illustrium, quos terrae, caeloue edidit Insula SICILIA, velut in tabula expressam, arbitror primum exponendam, vt conatus nostri quasi adumbratam imaginem, vno oculorum conjectu comprehendere quiuis possit. naturam imitatus, eiusque adeo aemulas artes. neque enim illa animantes repente effundit, stirpesque progignit: opificium ad hoc suum e flore in florem, vt videtur, maiore pompa traducit. itaque Plinius conuoluulum appellat, naturae rudimentum, lilia facere condiscentis. pictores vero, & architecti prius carbone, cretaque exprimunt, quam suum quisque opus instituant. atque etiam simulacrum palam expositum, non a sapientibus modo, sed a vulgo considerari volunt; admoneri, corrigique percupientes. eadem mens, idemque scriptionis nostrae sensus: Sanctorum Siciliensium, seu clarorum hominum famae sanctitatis, historiam vndequaque conquisitam redegi in ordinem, vt e carie, ac tenebris erutam proferrem in lucem.

cem. operae pretium fore ratus, si quod labore maximo partum est, studio pari deriuaretur ad posteros. verebar enim, ne quod erat Historiae sacrae reliquum ex tot Siciliæ cladibus, socordia temporum penitus interiret. facinus indignum, si sanctissimorum virorum facta, virtutesque, pereuntibus monumentis, vna perirent. neque tam commouebar illorum caussa, quibus satis in caelo gloriae, quam nostro, ac posteritatis bono, si reliquiae illae, vt vt laceræ, manerent; damno, si omnino delaberentur.

Iam vero incendia, cladesque, & aduersa Siciliae reputanti mihi, nulla spes est, Siculæ totius Historiæ in Sicilia nanciscendae. commemorem ne, quod meminisse acerbissimum est, quoties Insula ferro, flammisque vastata a Vandalis, a Gothis, a Sarracenis? quamquam nouissimum, idemque funestissimum omnium, Sarracenicum incendium, & calamitas fuit. tum plerique incolarum per saeuitiam caesi: plures miseriorem in diuturno seruitio mortem perpesi: feliciores, qui patria profugi, vitam exsilio tolerauere. ne dum domus, templaque primo impetu deusta, sed etiam vrbes, Græciæ olim principes, ac decora, solo tenus euersæ, barbara libidine. antiqua tabularia, ingeniorum præclara monumenta, eodem igni conflagrauere. mox longo dominatu Sarracenorum, per annos ferme CCC. Historia Siciliæ cum sacra, tum profana pessum ijt. Quid igitur in Sicilia quaeram, quod Arabica nocte oppressum, an eluuione haustum, & cum Sicilia pene ipsa consepultum est? postea vero quam Sicilia Nortmannorum Principum virtute, Sarracenicum iugum e ceruici-

bus

bus excuſſit ſuis,Religionis Chriſtianae maieſtas reuixit, at Hiſtoria ferales inter vmbras, & emortuarum vrbium buſta conſedit. igitur vetuſtae clades Siciliae; emendicandae Hiſtoriae ab exteris, neceſsitatem attulere; penes quos ſeu deſcripta exemplaria manebant, ſeu erepta incendijs monumenta rerum Sicanicarum exſularunt.

Exinde omnibus conſilij mei ratio conſtabit, in hoc proludio operis; neque ea ſapientibus viris fortaſſe improbabitur. nam operae pretium fuit, Ideam praemittere, & in externas Prouincias ablegare, vt Siculas membranas,fortuitis rerum caſibus eo tranſductas, perueſtiget; opeque, & humanitate amicorum, poſtliminio domum reducat. illa meam vicem praeſtet: adeat bibliothecas Italiae, Hiſpaniarum, Galliarum, Germaniae, quod ad comparandam Hiſtoriam factum a me oportuit, nec licuit. illa omnes edoceat, quid ſcriptionis moliamur; quid e ſacro paratu penes nos ſit, quid ad perfectionem operis deſideretur, quibus etiam in rebus, obſcura in antiquitate, nutemus. demum Idea omnes impenſe roget, oretque vicario nomine, ſufficiant quod deeſſe cognouerint,opemque efflagitanti benigne ferant: illuſtrent in obſcuris, in ambiguis firment. magna quidem in eo gloria,ſapientibus monitis aliorum tenebras depellere. denique, ſi quid aciem noſtram effugiſſe viderint humaniter doceant; ſi in re aliqua deprehenderint erraſſe me, amo-

re veri commonefaciant. hominem me censeant esse; neque vnum posse omnia attingere, aut rescire, in tantis praesertim obfusis Historiae tenebris rerum, ac temporum.

Nunc iam formam operis adumbrare aggredior. sed omnes ante monuerim, quod aequum est nosse: Sanctos Siculos, famaue sanctitatis illustres viros a me nominari, qui in Sicilia nati, alti, exstinctique. insuper qui quamquam alibi gentium vitam hauserint, pro Christo hic profudere, caelo per ferrum exorti. vel tametsi alijs e terris in caelum commigrarunt, natale illis solum Sicilia certo fuit. hos equidem omnes Siculorum nomine appello, patriamque esse aio, in qua quisque aut spiritum accepit, aut reddidit. vterque Sanctorum natalis dies: isque verior, ac felicior, quo caelo donati.

Sanctorum igitur hominum, quod ad rem pertinet, ratio duplex. plures cultu publico colimus, nonnullos priuato. illum vetere instituto, Romanae Ecclesiæ auctoritas, & decreta Pontificum firmauere: hunc vero concepta in hominum animis opinio induxit sanctitatis, qua vitam quis traduxit, clausitque, miraculorum gloria; aut certe virtutum splendore conspicuus. hinc distributio operis in partes duas. priore sanctorum hominum vitae continentur, quibus diuinos honores in Sicilia publice largimur. parte altera, qui praecipui fama sanctitatis, multique etiam Beatorum elogio

clari,

clari, memoriam apud posteros meruere.

Antequam vtriusque partis indicem perscribam, id vnum scire te volo: ad omnes vitas, viam ante muniet labor noster, haud vulgari paratu. enimuero praeluditur ISAGOGE AD HISTORIAM vniuersam illustrandam. illuc rei Siculae cognitionem, praecipue sacram, profanam etiam interdum transtulimus; vnde Religioni Christianae vtilitas, ac decus ostendebatur, & Historiae lux praefulgebat. praecipua capita rogas? subijcio.

CAPITA ISAGOGES SACRAE

ad pleniorem

HISTORIAE SANCTORVM cognitionem.

1 VEteris SICILIAE status, Deorum religiones, superstitionesque impiae, ante illatum sacrosancti Euangelij lumen.

2 Aetna mons, nocturnis mirus incendijs, (plerisque spiraculum Inferorum) perpetuus à Deo Siciliae monitor fuit, vt erumpentium ignium visu perterriti incolae, ab impietate retraherentur.

3 Prodigia, quae idololatriae interitum in Sicilia

proxime anteceſſere: ſub IESV CHRISTI exortum ex MARIA Virgine, templum foediſsimae Veneris in monte Eryce proſtratum: terraemotu, qui in Chriſti morte exſtitit, interſciſſus mons Saturnius, Meſſanam inter, & Tauromenium: eodemque fortaſſis motu, media Tyndaris abrupta eſt.

4 Fauſta Chriſtianæ Religionis initia, primi Epiſcopi ex Oriente in Siciliam a Beatiſsimo Petro miſſi, Eccleſiaeque ab Apoſtolis in Inſula conſtitutae.

5 Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli in Siciliam appulſus, reſque geſtae.

6 Chriſtianae fidei ad omnes Siciliae Ciuitates propagatio, ab eius ingreſſu, ad tempora Magni Conſtantini, qua miraculis, qua ſanguine martyrum.

7 Chriſti Crucis virtute, abacta Daemonia e fanis, lucis, collibus, thermis, antris, ex tota Sicilia: ſpecus, ac celebre ſepulcrum iuxta Lilyboeum, haud quaquam Cumanae, ſed Sybillae Siculae fuiſſe: eius ſuperſtitio in veram religionem conuerſa.

8 Ethnicorum, an Chriſtianorum, ac fortaſſe etiam Martyrum, fuerint cryptae S. Luciae, & S. Ioannis in Syracuſarum suburbijs.

9 Chriſti cultus firmatus, auctuſque, templis vbique vrbium in Sicilia exſtructis.

10 Ope Virginis Deiparae, Inſula Chriſti fidem complectitur, illius antiquiſsima penes Siculos Religio

ligio, prima templa, cultusque in consequentes aetates.

11 Sicilia Christianam fidem flagranti studio sumpsit, constantia pari retinuit. haeresum architectos neque vnquam peperit, neque aluit. (haereses enim Porphyrij Tyrij falso tributae Porphyrio Siculo) Pelagium, & Caelestium in Insulam appulsos, ceterosque haereticos, & inuectas ab his haereses, abse procul abegit. Siculorum Patrum studia, iam inde a Nicaeno Concilio, pro fide Christi tuenda, cum lingua, ac penna, tum sanguine.

12 Vrbes Episcopali dignitate ab initio fidei ad hæc vsque tempora insignitae: tyrannide Sarracenorum Episcopatus extincti, mox pietate Principum Nortmannorum partim restituti; partim noui instituti.

13 Ecclesiarum Siciliæ, a prisco aeuo, sacri ritus.

14 Sicilia quamquam sermone Graeco, disciplina tamen, institutisque Romanis semper vsa est, neque a Graeca, sed ab Ecclesia Romana traditiones, legesque accepit.

15 Siciliam vero iam inde a Religionis initijs ad hæc tempora, in sacra politia caput, ac Principem Romanam Ecclesiam, atque Pontificem secutam, eique subiectam fuisse, reuincunt Ecclesiarum Siciliae origines, ordinationes Episcoporum ab omni aeuo, caussae, ac iudicia, quae ad Romanum Pontificem

ab

ab Ecclesijs Siciliae deferebantur. crediderimne Siculam Ecclesiam a Romana auulsam, tenenti bus Insulam Sarracenis, & ad Patriarcham C P. tractam; recuperata vero Sicilia a Ducibus Nortmannis; Rom. Ecclesiae de integro restitutam?

16 Priuilegia a Romanis Pontificibus, Imperatoribus, ac Regibus concessa Episcopis, Ecclesijsque Siciliae.

17 Sicula Ecclesia principum virorum, feminarumque opibus maxime aucta.

18 Siciliensis ager Deo, & Christo sacer: nec modo in Sicularum Ecclesiarum cultum, sed externarum etiam dedicatus. Quae fuerint in Sicilia, Patrimonium S. Petri, Patrimonium Rauennatis Ecclesiae, Patrimonium Ecclesiae Mediolanensis, Patrimonium Casinense.

19 Praecipuus Siculorum Sanctorum cultus apud indigenas, exterosque.

20 Virginum Collegia, Religionis exortu, instituta, disseminataque in Sicilia a sceteria.

21 Quae fuerint sex illa Monasteria, in Sicilia a Gregorio Magno exaedificata.

22 Quibus originibus, variae Religiosi Ordinis familiae ad nos deductae.

23 Postremum monumentum sanctißimis Siciliae Hospitibus, a quibus ea in fide firmata, atque illustrata, dicatum voluimus.

Iam

Iam vero, quae Historiam sacram iuuant, perscribamus.

ISAGOGES PROFANAE CAPITA.

1 Principes, qui suo sub dominatu Siciliam tenuere.

2 Veteres, varijque Siciliae Magistratus: Romanorum in ea coloniae, ac municipia.

3 Siculae Historiae interitus caussae, Insulaeque calamitates.

4 Quae penes nos exstent veterum Siciliae Theologorum Graeca fragmenta MSS. quadrifariam secta, εἰς τὰ ῥητορικὰ, ἱστορικὰ, ἐπιστολικὰ, ποιητικά.

5 Bibliothecae, manu exarati codices, scriptoresque, ex quibus Historia desumpta est.

Isagoges capita eo percensuimus, vt siquid eruditis viris occurrerit, quod ad Historiam nostram ornandam faciat, nobiscum benigne communicetur.

Nunc iam indices duos seorsum operi praefigimus, alphabetico ordine: alterum Sanctorum Hominum, quos in Sicilia cultu publico veneramur, quorumque meminere Acta Martyrum, seu veteres Ecclesiarum sacri Fasti, scriptoresque antiqua fide testimonium, eximia cum laude, dicunt. alterum eorum, qui pie, sancteque in Sicilia diem obiuere.

IN-

INDEX PRIOR
ALPHABETICVS
SANCTORVM SICVLORVM
EX ANTIQVIS ACTIS
Fastisque sacris.

Augu-

Eiusdem Translatio.	17.	Iul.
Conon Monachus.	28.	Mart.
Conradus Eremita.	19.	Febr.
Eiusdem translatio.	28.	Aug.
Coroebus Mart.	18.	Apr.
Cornelianus Mart.	8.	Iul.
Cornelius Mart.	31.	Dec.
Corona Mart.	14.	Maij.
Eiusdem translatio.	18.	Sept.
Cosmas Episc.	10.	Sept.
Eiusdem translatio.	10.	Oct.
Crescentia Mart.	15.	Iun.
Cyrinus Mart.	10.	Maij.
Reliquiarum eius translatio.	2.	Sept.
Demetrius Confess.	18.	Iun.
Demetrius Anachoreta.	19.	Sept.
Deodata Mart.	31.	Iul.
Donatus Mart.	16.	Sept.
Donatus Presbyter.	13.	Nou.
Eleutherius Episc. & Mart.	18.	Apr.
Eiusdem translatio.	16.	Aug.
Elias Episc.	26.	Aug.
Elias Monachus.	17.	Aug.
Elisabetta Anachoretis.	19.	Sept.
Epiphane Mart.	12.	Maij.

Eulalius Episc.	16.	Febr.
Eugarius Mart.	23.	Maij.
Euodius Mart.	25.	Apr.
Euplius Diaconus, & Mart.	12.	Aug.
Euplius Confess.	11.	Sept.
Eusebius Monachus.	12.	Maij.
Eiusdem translatio.	25.	Iul.
Eustochium Virgo.	22.	Ian.
Eustotius Mart.	8.	Dec.
Euthalia Virgo, & Mart.	27.	Aug.
Eutychius Mart.	5.	Oct.
Eutychius Episc.	15.	Nou.
Expergentius Mart.	4.	Iun.
Fabianus Mart.	31.	Dec.
Fantinus Confess.	24.	Iul.
Fantius Mart.	31.	Iul.
Faustus Mart.	5.	Oct.
Faustus Abbas.	6.	Sept.
Febronia Virgo.	25.	Iun.
Firmatus Diaconus, & Mart.	5.	Oct.
Flauia Virgo, & Mart.	5.	Oct.
Flos Mart.	31.	Dec.
Gandolfus Confess.	17.	Sept.
Eiusdem translatio.	17.	Maij.
Geminianus Mart.	16.	Sept.

Gerardus Confess.	29.	Dec.
Gerasina Mart.	21.	Oct.
Gerlandus Episc.	25.	Febr.
Eiusdem translatio.	20.	Mart.
Gerlandi Equitis Inuentio.	18.	Iun.
Eiusdem translatio.	19.	Iun.
Golbodeus Mart.	8.	Dec.
Gordianus Monachus.	18.	Mart.
Gregorius Episc.	22.	Iun.
Gregorius Episc.	23.	Nou.
Gregorius Episc.	5.	Iun.
Gregorius Conf.	18.	Iun.
Gregorius Anachoreta.	19.	Sept.
Gulielmus Coenobiarcha.	16.	Apr.
Gulielmus Eremita.	4.	Apr.
Hermogenes Mart.	25.	Apr.
Hermogenes Episc.	24.	Nou.
Hilarion Monachus.		
Hugo Abbas.	17.	Nou.
Iacobus Episc. & Mart.	21.	Mart.
Ioannes Mart.	23.	Sept.
Ioannes Episc.	23.	Oct.
Ioannes Iunior Asceta.	5.	Febr.
Ioannes Monachus Therister.	24.	Febr.
Eius Ecclesiae Dedicatio.	24.	Iun.

Ioa-

Ioannes alter Monachus.		
Iosephus Hymnographus.	3.	Apr.
Isidora Mart.	17.	Apr.
Isidorus Episc.	15.	Iul.
Iuliana Virgo, & Mart.	21.	Oct.
Iulius Maternus Episc.	18.	Ian.
Iustina Virgo.	10.	Ian.
Laurentius Monachus.	30.	Dec.
Leo II. Papa.	28.	Iun.
Leo Episc.	20.	Febr.
Leolucas Abbas.	1.	Mart.
Libertinus Episc. & mart.	3.	Nou.
Lidanus Abbas.	2.	Iul.
Lucas Monachus.	6.	Nou.
Lucas Abbas.	1.	Mart.
Lucas Abbas.	13.	Oct.
Eius Corporis translatio.	18.	Oct.
Lucas Abbas.	2.	Mart.
Eiusdem translatio.	25.	Iul.
Lucia Virgo, & Mart.	13.	Dec.
Eiusdem translatio.	18.	Ian.
Lucia Vidua, & Mart.	16.	Sept.
Lucia Virgo Sanctimonialis.	26.	Sept.
Lucianus Episc.	3.	Ian.
Mamilianus Episc. & Mart.	15.	Sept.

Eius-

Eiuſdem prima Inuentio.	16.	Iun.
Secunda Inuentio.	19.	Apr.
Marcus Monachus.	4.	Mart.
Marina Virg.	17.	Iul.
Martia Mart.	21.	Iun.
Martianus Epiſc. & Mart.	14.	Iun.
Martyres plurimi ſub Nerone.	1.	Ian.
Martyres plurimi ſub Maximino.	18.	Febr.
Martyres iuxta Megaram.	1.	Nou.
Martyres xx. milites, ſub Decio.	10.	Dec.
Martyres CXC IX.	23.	Mart.
Martyr.VII. pueri) Leontinis.	26.	Mart.
Martyr.plures Iudaei)	9.	Apr.
Martyres Maenis.	24.	Aug.
MM.plurimi Meſſanae.	29.	Aug.
Martyres Catanae.	6.	Iul.
Martyres Mylis.	11.	Oct.
Martyres LX.	8.	Iul.
Martyres CCCC. ſub Diocletiano.		
Martyres LXXV.	13.	Sept.
Martyres LXXIX.	21.	Febr.
Martyres XXXIV.	22.	Maij.
Martyres ſub Vandalis.	7.	April.
Maryres XXX. Monachi.	5.	Oct.
Martyres Monachi a Sarracenis.	1.	Aug.
Alijque.	28.	Sept.
Maximianus Epiſc. & Conf.	9.	Iun.

Maximus Martyr.	21.	Febr.
Maximus Episc.	12.	Ian.
Mercurius Mart.	10.	Dec.
Mineruinus Mart.	31.	Dec.
Modestus martyr.	15.	Iun.
Neophyta Mart.	17.	Apr.
Neophytus Episc.	1.	Sept.
Nicander Anachoreta.	19.	Sept.
Nico Episc. & Mart.	23.	Mart.
Nicolaus Conf.	9.	Dec.
Nicolaus Eremita.	17.	Aug.
Niuitus Mart.	15.	Iun.
Nympha Virgo, & Mart.	12.	Nou.
Eiusdem Capitis translatio.	9.	Sept.
Oliua Virgo, & Mart.	10.	Iun.
Pancratius Episc. & Mart.	3.	April.
Pappiani Mart. translatio.	28.	Iun.
Peregrinus Mart.	3.	Nou.
Peregrinus Confess.	30.	Ian.
Petrus Mart.	23.	Sept.
Petrus Anachoreta.	19.	Sept.
Philadelphus Mart.	10.	Maij.
Reliquiarum eius translatio.	2.	Sept.
Philaretus Mart.	8.	April.
Philaretus Confess.	6.	April.

Philip-

Philippus Presbyter.	12.	Maij.
Eiusdem Inuentio.	21.	Ian.
Translatio.	25.	Iul.
Philippus Diaconus.	12.	Maij.
Eiusdem translatio.	25.	Iul.
Placidus Abbas, & Mart.	5.	Oct.
Eius, Sociorumque Inuentio.	3.	Aug.
Pontianus Mart.	31.	Dec.
Potamio Episc.	29.	Ian.
Proculus Mart.	8.	Dec.
Protus Mart.	15.	Iun.
Quintianus Mart.	31.	Dec.
Quintianus alter Mart.	15.	Iun.
Rhodippus Episc.	2.	Febr.
Robertus Abbas.	25.	Apr.
Rosolea Virg. Anachoretis.	4.	Sept.
Rufinus Mart.	21.	Iun.
Saba Abbas.	5.	Dec.
Sabinus Mart.	21.	Febr.
Sabinus Episc.	15.	Oct.
Serapion Conf.	11.	Sept.
Sergius Papa I.	9.	Sept.
Seuerus episc.	24.	Mart.
Sextus Mart.	31.	Dec.

Sierius Conf.	18.	Iun.
Siluia, S. Gregorij Magni Mater.	12.	Mart.
Siluester Monachus.	2.	Ian.
Simeon Monachus.	1.	Iun.
Simeon alter Monachus.	27.	Iul.
Simplicianus Mart.	31.	Dec.
Sophia Virg. & Mart.	23.	Sept.
Sperus Mart.	8.	Iul.
Stephanus Mart.	31.	Dec.
Stephanus Papa IV.	1.	Febr.
Stratonicus Mart.	24.	Iul.
Eiusdem translatio.	17.	Iul.
Susanna Mart.	7.	Iun.
Thallelaeus Conf.	24.	Maij.
Thecla Virgo.	10.	Ian.
Theoctistus Abbas.	4.	Ian.
Theodosius Episc.	18.	Maij.
Theodulus Mart.	15.	Iun.
Timotheus Mart.	24.	Ian.
Triphina Mart.	24.	Nou.
Trophima Virgo, & Mart.	5.	Nou.
Eiusdem translatio.	13.	Iul.
Venera Virg. & Mart.	26.	Iun.
Victor Mart.	14.	Maij.
Eiusdem translatio.	18.	Sept.

Victoria Virgo, & Mart.	21. Octobr.
Victorinus Mart.	5. Oct.
Vitalis Abbas.	9. Mart.
Eiuſdem tranſlatio.	28. Apr.
Vitus Mart.	15. Iun.
Eiuſdem tranſlatio.	13. Iun.
Vrſus Epiſc.	13. Apr.
Zenais Mart.	7. Iun.
Zoſimus Epiſc.	30. Mart.

Quos praeterijſſe me cognoueris, humaniſsime Lector, ſuggere, ac nomen tranſmitte.

Haud ſcio, (conſultos omnes peruelim) an ijs, quos publica Religione colimus, adnumerandi ſint inſignes viri ſex, qui pro meritis ingentibus in Chriſtianam rem, meum pectus acriter fodiunt; Bacchylus, Chreſtus, Capito, Paſchaſinus, Hippolytus, Sophronius Epiſcopi. Bacchylus a Paulo Apoſtolo Meſſanae impoſitus eſt. at Chreſtus Syracuſarum Epiſcopus, ad quem exſtant Conſtantini Magni literae, quibus ad Concilium Arelatenſe conuocatus eſt, in cauſſam Caeciliani Epiſcopi Carthaginenſis. Capitonem Siciliae Epiſcopum Nicaeno Concilio interfuiſſe, acrem aduerſus Arium propugnatorem, S. Athanaſius tradit. Paſchaſinus vero Lilybaei Epiſcopus, Magni Leonis iudicio delectus, qui Conſtantinopolitano Concilio, Romani Pontifi-

cis vice, præsideret; eiusdemque sanctissimi viri amicitia,& Vandalica seruitute probatus, clarusque. Hippolytus Siciliae Episcopus, spiritu prophetiae clarissimus, cuius ante annos ferme octingentos scripta oracula exstabant. vita sane integerrima, recteque facta ad hoc fastigium videntur extulisse : quod tamen eos nemo sanctitatis vocabulo auxit, neque nos ausi, nullo exemplo.

At Sophronius Syracusarum Episcopus, Vrbe a Sarracenis excisa, oneratus catenis, vna cum Theodosio Monacho Syracusano, Panhormum abductus,& in tenebricosum carcerem coniectus est. exin ad Amiram Sarracenorum adductus, cum Iesum Christum constantissime confiteretur, Mahometem vero detestaretur, in custodiam retruditur. vbi multis pene confectus aerumnis, imminentem mortem, eadem constantia,in diem opperiebatur. exstat penes me Epistola Graeca a Theodosio Monacho, aerumnarum,ac periculorum socio,e carcere ad Leonem Archidiaconum conscripta, quae Historiam ab excidio Syracusarum coeptam eousque deducit. quid dein Sophronio Episcopo, ac Theodosio Monacho factum sit, haud compertum habeo. sed ex eorum patientia in aerumnis, & animi fortitudine in confessione Christi, coram Amira Sarraceno, parem exitum tulisse asseruerim. a ceteris exquiro, quid super hac re sentiant.

At anceps sum animi, num ijs, quos modo memo-

raui, videantur connectendi Leontini tres, Publius, & Domitius in perſecutione Decij Extorres, & Eutropia, S. Martyris Euthaliae mater, quae profluuio ſanguinis miraculo ſanata, omnes facultates ſuas in Eccleſias, & Chriſti pauperes contulit; quorum meminere Acta SS. MM. Alphij, Philadelphi, & Cyrini.

Ceterum mirabitur fortaſſe quiſpiam, in hunc indicem coniectos a me, qui pertinere ad Siciliam nullo modo videantur. Ex quibus Eleutherius Illyrici Epiſcopus, Antia mater, Coroebus Praefectus, Victor miles, Corona, Lucia, & Geminianus, cum Caeſares ferro graſſarentur, obiere: Iulius Maternus Mediolanenſium Epiſcopus, tranquillae cum eſſent Eccleſiae res. quibus ego rationibus permotus, hos Siciliae tribuerim, meis ad Hiſtoriam notis commemorabo. aegre hic quidem poſſem, vel ſi praeſtare id velim; ſeu multis, ſiue paucis exſequar, vtrumque pro noxa erit. quod longitudo a noſtro hoc inſtituto abhorret; breuitas probationum neruos concidit.

Contra vero ex albo expuncti quidam, quos obfuſa Hiſtoriae caligine, nondum cognitum erat, in Siculis falſo cenſeri. Nam B. Pantaenum, S. Marci Euangeliſtae Diſcipulum, virumque Apoſtolicum, in Sicilia natum (vtinam vere) Gentianus Heruetus ex coniectura tradidit, Clementis Alexandrini verbis perperam verſis, interpunctiſque, vnde errori locus.

S. Ambroſium, Mediolanenſem Epiſcopum, in Si-

cilia prognatum, tradit Anonymus, ſed antiquus ſcriptor rerum geſtarum S. Lucae Carbonenſis. Virum ſane fidum miramur hic lapſum; niſi ſit error exſcriptorum, nos vltro remittimus, quod noſtrum non eſſe pernouimus.

Idem a nobis D. Nicaſio factum, qui in Caccabo colitur, atque ex legione Thebaea Martyr fuit.

Archirion, Onuphriuſque, & Paulinus Suterae Patroni, ex Oriente Confeſſores videntur exſtitiſſe. Omnes, quod viſum mihi verius, ob aduectas in ea oppida Reliquias, percoluntur: quos obſcuris adhuc rebus, male quidam vſurpauere; nos plane cognitis, ſponte reddimus. exploratum quidem mihi, quod Acta, vulguſque, & recentium ſcriptorum nonnulli memorant: Archirionem, & Onuphrium Euangelij cauſſa in Siciliam a B. Petro miſſos, vna cum Philippo, & Calogero. Dioeceſes etiam inter eos partiuntur. Philippo Agyram tribuunt, Saccam Calogero, Archirioni, & Onuphrio Suteram, & Paternionem: quorum virtute Daemonum cohortes loco pulſae, oppidanis ad fidem conuerſis. Sed illa Acta iudicio noſtro falſa: vulgus, vt mos, errat: eoque ſubnixi, ſcriptores, vna ruunt. nam Philippus poſt annum CCCC. ex Oriente in Siciliam peruenit, plureſque ante annos Calogerus, turbato Oriente Diocletiani, & Maximiani perſecutione. Quod ex Euſebio, & Sergio Monachis, altero rerum Philippi, altero Calogeri, Graecis ſcriptoribus; quos penes nos

habe-

habemus, planè cognouimus. Haec, temporum ratio id vulgi commentum conuellit; nos pluribus in Historia confutabimus.

Quis nam vero Paulinns Suterae cultus? quid rerum gesserit, vbi locorum vitam egerit, finieritque, diu à me perquiritur; nec certo inuentum. vulgo creditur Nolae Episcopus, qui Viduae filij libertatem seruitute nobilissima redemit. Ex Africa redeunti placuisse solitudinem Suterae proximam, atque ibi commoratum, suaque morte locum insigniuisse. Sed aniles fabulas isthaec puta. Enimuero Paulinum illum Nolae in Campania vita functum, Vranius testatur, vitae scriptor, ac spectator mortis. Corpus Nola in Vrbem Romam translatum, satis constat. de ijs autem omnibus in Historia copiose disputandum est: hic consilium mihi, pauca tradere, vt non incuriosis rerum docendi nos ansam daremus, & quod vero propius, afferendi.

Porro in Martyrologijs Siculis membrana exaratis, ad XVII. kal. Iulij, Martyres nouem recensentur, Niuitus, Cantianus, Candidus, Chrysogonus, Artheon, Quintianus, Protus, Theodulus, Cantianilla: sed eadem Martyrologia in loco caedis variant. nam exemplaria tria, vnum Messanensis, duo Cephaloedensis Ecclesiae, in Lucania commemorant. contra exemplaria duo; alterum Syracusanae, alterum Messanensis Ecclesiae, in Sicilia exstinctos tradunt. an error in idem recidit? & Lucaniae nomen pro Calabria contermina,

atque

atque ex eo, pro Insula Sicilia vsurpatum: quam ob caussam obseruatum a me est, sesquisecili scriptoribus in Calabria memorari, quod in Insula Sicilia factum est, & Ciuitates Siciliae in Calabria locari, vt series habeat, donec de loco natali horum Martyrum constiterit, haud visum, iuri nostro renuntiare.

Memorat Illustrissimus, & Reuerendissimus D. Vincentius Bonincontro, Episcopus Agrigentinus, cum Romae esset, Sanctissimi D. N. Pauli PP. V. Theologus, auditum sibi a M. Thoma Pallauicino, Socio Magistri Sacri Palatij, famam illic in plerosque, Siluiam Gregorij Magni matrem, Siculam fuisse. falso, an vero id traditum, nondum pro comperto habeo. sed quae rem suadeant, multa sunt argumenta.

I. Tenuis isthaec fama, ad nos delapsa, auctore viro graui, & docto, Magistri Socio Sacri Palatij.

II. Gregorij PP. Magni pietas in Sanctos Siculos, hausta a matre certe quidem Sicula. ille enim Agatham, & Luciam V V. & M M. Siculas in Missae Canonem intulit, vt tradit S. Althelmus Episcopus Schireburgensis: Basilicam S. Agathae in Suburra purgatam sacrauit: Sacrarium S. Luciae in Basilica S. Petri Apostoli construxit.

III. Eiusdem Sancti Gregorij in Siciliam affectus, quem ex eius epistolis facile cognoscas.

IV. Monasteria sex Gregorius, ante initum Pontificatum, in Sicilia aedificauit, agrisque, & latifundijs donauit

rauit, quae illae in Insula habebat. nunne ea bona dotalia Siculae Matris exstitere?

V. eodem aeuo, aliae feminae Siculae viris Romanis nuptae, vt Faustina Tertullo, Patri Martyris Placidi; Elpis Seuerino Boëtio V.C. ac Martyri. tum forte etiam Siluia Gordiano in matrimonium data. coniecturas has esse affirmas, scio. sed interdum coniecturis expressa veritas; doceant nos, quibus maior est cognitio rerum. enimuero cum constiterit, Siluiam non esse Siculam, e Fastis Siculis expungemus.

Suspicari quis etiam posset de Elpide Sicula, clarissima femina, S. Seuerini Boëtij, Viri Consularis, ac Martyris coniuge, quae sub annum Christi Domini IↃIV. excessit e vita, reuocanda ne sit ad alterutram e nostris classibus. quippe Vernerus mulierem deuotam appellat, Arnoldus Belga Monachus sanctissimam, & doctissimam. Sane Elpis Poëtria ex viri Boëtij conuictu, qui omnium disciplinarum apicem viris doctis consecutus videtur; in literis & pietate magnos progressus fecit. eius ingenij vim, candoremque, & animi pietatem, opera, quae composuit, demonstrant: ex quibus exstant Hymni duo in SS. App. Petrum, & Paulum, (alter incipit, Aurea luce: alter, Oliuae binae) & epigramma, quod viro superstite, ipsa sibi sepulcro inscripsit suo. Epitaphium Ticini perlegebatur, & hoc ce est.

Elpis

Elpis dicta fui, Siculae regionis alumna,
Quam procul a patria coniugis egit amor.
Quo sine, maesta dies, nox anxia, flebilis hora,
Cumque viro solum spiritus vnus erat:
Lux mea non clausa est, tali remanente marito,
Maiorique animae parte superstes ero.
Porticibus sacris iam nunc peregrina quiesco,
Iudicis aeterni testificata thronum:
Neue manus bustum violet, ni forte iugalis
Haec iterum cupiat iungere membra cinis.

Epigramma adieci, vt Elpidem Boëtij coniugem, ac Poëtriam pio, cultoque ingenio, Siculam exstitisse ignari pernoscant.

Illud hic pro certo affirmauerim, deprauata esse quorundam Sanctorum Acta. quo in numero est Historia S. Martiani Episcopi Syracusani, ac Martyris, quae exstat in Ecclesia Syracusana, & Caietana; & Historia S. Pancratij Episcopi Taurómeniorum, ac Martyris, quae latine Tauromenij, Graece scripta seruatur in Bibliotheca Cryptae Ferratae, in agro Tusculano, & Monasterij S. Saluatoris, prope vrbem Messanam: in qua describitur Martyrium SS. Sororum Mariae, ac Seiae, Beata Dormitio Neophyti Diaconi, Res gestae Epaphroditi Presbyteri, & Paulinae Virginis, ac Diaconissae. hos tamen in suspicionem reuocare non ausim, quibus olim publici fortasse honores rributi: sed deleuere memoriam immanissimae clades Sar-

racenorum. ijs igitur restitutus nunc anniuersarium cultum, honoresque, censetis?

Multis item inuoluta difficultatibus est Historia S. Peregrini Calatabillottae Patroni, sed praecipue illius tempora male tradita, quoue auctore, in Siciliam appulerit. nam tradit, Peregrinum a S. Petro Apostolo missum in Calatabillottam: at oppido non tantum antiquitatis. nam a Sarracenis exstructum satis constat, (& Sarracenicum nomen ostendit) IↃCCC. ferme post annos ab excessu D. Petri. vetus, inquies, Oppidum Calatabillotta, sed mutatum nomen, dominatu Sarracenorum. quo id auctore, firmaueris? prome nomen veteris oppidi. sed faculam praefero, quae hasce tenebras fortasse illustret. Oppidum Calatabillotta in edito monte situm: infra ad CIↃ. P. meridiem versus, vestigia antiquae vrbis manent: quae ex fama, scriptoribusque Triocala est, ea seruili bello vastata, dein restaurata, rursum a Sarracenis euersa: ex ruinis condita Calatabillotta. An Peregrinus a B. Petro in Siciliam missus, ad Vrbem Triocala peruenit; quae, nascente Iesu Christi Euangelio, fidem suscepit; & Episcopatus olim sede decorata est: atque ex errore vulgi, proximae Calatabillottae tributum, quod Triocalis tribuendum fuit?

Adhoc corrupta sunt Acta cum Romana, tum Sicula SS. Martyrum Luciae Viduae, ac Geminiani, S. Calogeri, quae per Siciliam vulgata, & SS. Libertini

Epi-

Epiſcopi Agrigenti, & Peregrini Martyrum, quae a germano fratre D.Conſtantino Abbate exſcripta habuimus, ex Coenobio S. Mariae, in agro Acutiano, in Sabinis. Omnia haec Acta diu me, plurimumque torſere, ſed in tempore ad cenſuram retrahemus.

Venerae etiam Siculae Virginis, & Martyris obſcurae res. haud procul a CaſtroRegali, virginitatis ſtudio interfectam, accolae perhibent; vbi ſanguineae aquae fons erupit, miraculis in dies inclytus, loco exſtructa Arula nomen fecit.ſatis ex eo conſtat, Veneram Sciulam ab Aletina, & Locrenſi diuerſam eſſe.

Martyres CCCC. ad fluuium Selinuntium, vna cum Vito occiſos, Ptimus, & Hadria tradunt. at Vitus in Lucania diem obijt ſuum. an illi, priuſquam Vitus ad Lucanos commigraret, eius miraculis ad fidem conuerſi, interfectique?

Praeterea multis implicata difficultatibus, seu ſepta tenebris ſunt Acta S. Niconis Epiſcopi, & Sociorum Martyrum, in Graecorum Menaeis; S. Sophiae, in Eccleſia Sortinenſi; S. Trophimae, in Minoritana; S.Oliuae, in Panhormitana; S.Lidani Abbatis, in Setina; S S. Martyrum Geraſinae, eiuſque filiorum Adriani pueri, Aureae, Babillae, Iulianae, & Victoriae Virginum.

Nam Geraſinam Siciliae Reginam exſtitiſſe ſororem Dariae, matris Vrſulae, Acta quaedam memorant, cuius animi propoſitum cum a parente Mauro, Rege

E 2 Scotiae.

Scotiae, ac Dariae viro, per literas didicisset, Siciliae Regno natu maiori filio relicto, cum quinque liberis in Angliam nauigasse, atque omnes cum Vrsulae comitatu a Barbaris interfectas. Sed Acta illa veris, falsisque permista. sane veram de caede Vrsulae Historiam Gaufridus Episcopus scripsit, ex eo Trittemius, ac Baronius recitant: adeant, qui nosse concupiscunt. nos commentum illud in Historia multis refellemus. hic scire sit satis, falsam esse Reginam istam Siciliae, falsum in ea Regni nomen, ac formam. qua enim tempestate Vrsulae, Sociarumque caedes facta est, nec Sicilia Imperio, nec nomine Regio tenebatur: sed Romana Prouincia Valentiniano Imperatori parebat. tum vero Proconsulares, vt auctor Sex. Rufus, administrabant.

Horum omnium Sanctorum, quorum vitiata sunt Acta, sinceram Historiam a vobis ediscere, viri docti, percupio.

Triformia, & Febronia apud Pactenses memoratur. an Triformia eadem quae Trophima, alijs Trophimene? Febronia vero diuersa a Trophima, cum diuersus sit vtriusque natalis dies? attamen nihil statuo: ab alijs exquiro.

Hic duorum, mi Lector, scientem esse te volo. alterum est: in Oppido Craterio, Æmilianus in honore est, quem Hadria Panhormitanum Episcopum fuisse, ait. nos eumdem censemus, quem Mamilianum, cor-

rupte-

rupteque Æmilianum vulgo appellari. eam ob caussam, e nostro Indice deleuimus. at si quis est alius, doce.

Alterum est: in Turturicio colitur Brancatus, Oppidi Patronus, & miraculis clarus: mihi S. Pancratius est, Tauromenij Episcopus, & Martyr. vitiata enim a vulgo nomina, saepe etiam a scriptoribus. itaque vitiose apud Mylanos, Pappinus, pro Pappianus Martyr; apud Messanenses, Barchyrus, pro Bacchylus, Messanae primus Episcopus, & Licandrus, pro Nicander.

Conon Pont. Max. ab Anastasio S. R. E. Bibliothecario in eius vita, & in M. SS. Codd. Vaticanis memoratur, oriundus patre Thracesio, sed in Sicilia educatus, vt ego interpretor, in Siciliae Monasterijs. an quemadmodum idem Anastasius, ijdemque M. SS. Codd. Vaticani de sergio PP. I. scribunt, natione Syrum, regionis Antiochiae, sed Panhormi in Sicilia natum: ita etiam de Conone accipiunt, oriundum ex Thracia, sed in Sicilia ortum, educatumque? non ignoro, quod ab Anastasio traditum (Conon oriundus patre Thracesio) a viris doctis emendari; Conon patria Thrax: ad hoc oriundum, pro ortum, a scriptoribus Ecclesiasticis vsurpari. sed alia verbi vis, & latina significatio. igitur ambiguis rebus, obscurisque, Siciliae ius aliquod est, sibi Cononem vindicandi. quid censetis, viri docti?

Conus Episcopus Panhormitanus ab Hadria memoratur. an is cum Cosma Episcopo Africano illum con-

confudit, qui Panhormi in aede maxima conditus est, eiusque Vrbis Episcopum falso censuit? si quis est alius, docete.

Antequam secundae partis Indicem perscribam, illud praemoneo, precorque: ne quemquam offendat studium hoc meum, quod plurimos in hunc ordinem retulerim, qui nostra aetate vixere, neque adhuc ab Ecclesia probati, nedum in Sanctorum coetum relati sunt. minime quidem id factum a me in eum finem, quem putare animo quis posset. hac ratione suppositos, vt inter Sanctos recenseantur. quis hoc ausit, sine Romani Pontificis auctoritate? sed eorum vitas componere placuit, vnde Deo Maximo honor, virtuti praemium, toti Ecclesiae vtilitas quaereretur: hominum vero memoria, qui pietatem egregie coluere, nulla obliuione obrueretur.

INDEX ALTER ALPHABETICVS SICVLORVM HOMINVM FAMA SANCTITATIS Illustrium.

Albertus, Ord. Praedicatorum.
Alexander Abbas S. Martini.
Aloysius, Prior Carmelita. 8. Maij.

Al-

Alphius, Coenobita Ord. Cappuc.	1.	Dec.
Andreas, Coenobita Ord. S. Dominici.	25.	Dec.
Andreas, Socius S. Francisci de Paula.	2.	Apr.
Angelus, Abbas S. Martini.	27.	Nou.
Angelus, Obs. Reform. S. Francisci.	9.	Ian.
Anonymus Conf. Syracusanus, S. Basiliani Episc. Socius.		
Anonymus Eremita Siculus.	2.	Nou.
Antoninus, Coenobita Obs. S. Francisci.	20.	Aug.
Antonius Martyr.	13.	Ian.
Antonius Monachus.	13.	Oct.
Antonius Presbyter	30.	Oct.
Augustinus Monachus.		

Bartholomaea Vidua	8.	Nou.
Bartholomaeus, Frat. Laicus Obs. S. Franc.	8.	Oct.
Benedictus, Socius B. Petri Pisani.		
Bernardus, Coenobita Ord. S. Dominici.	11.	Ian.
Bernardus, e Societate Iesu Presbyter.	22.	Apr.

Catharina Sanctimonialis.	13.	Oct.
Chariton Presbyter.	6.	Iun.
Cherubinus, Coenobita Obs. S. Francisci.	21.	Mart.

Daniel Monachus.	17.	Aug.
Daniel, Presbyter e Societate Iesu.	25.	Dec.
Domitius.	26.	Ian.

Elec-

Electus, Ord. Minor. S. Francisci.	7.	Febr.
Elias Mart.		
Elias Monachus.	9.	Mart.
Elisabetta Homedea Virgo.	4.	Febr.
Eudocia Poenitens.	16.	Mart.
Euerius Episc.	16.	Nou.
Euprexia Vidua.	5.	Ian.
Eustratius Presbyter.	14.	Oct.
Eutropia.	26.	Febr.
Epaphroditus Presbyter.	15.	Dec.
Fridericus Eremita.	2.	Aug.
Francisca Sanctimonialis.	19.	Nou.
Franciscus, Socius S. Francisci de Paula.	2.	Apr.
Franciscus, Coenobita S. Dominici.	15.	Mart.
Franciscus, e Societate Iesu.	20.	Apr.
Gulielmus, Abbas Maniacensis.	30.	Nou.
Hippolytus Episc.		
Iacobus, Frater Laicus Obs. S. Francisci.	22.	Febr.
Ioannes Prior, Ord. Praed. S. Dominici.	14.	Nou.
Ioannes, Ord. Minor. S. Francisci.	2.	Dec.
Ioannes alter, Ord. Minor. S. Francisci.	21.	Iul.
Ioannes, Coenobita Obs. S. Francisci.	27.	Dec.
Ioannes Eremita.	6.	Ian.

Ioan-

Ioannes Eremita.	8.	Ian.
Ioannes Antonius e Societate Iesu.	9.	Aug.
Iulianus Monachus.		
Iulianus a Turcis pro Christi fide occisus.	26.	Maij.
Iuniperus Martyr.	23.	Febr.
Lucas Archimandrita.	27.	Febr.
Lucia Vidua.	3.	Sept.
Matthaeus Episc.	7.	Ian.
Matthaeus Eremita.	25.	Mart.
Michael, e Societate Iesu Presbyter.	5.	Oct.
Nicolaus Monachus.	1.	Apr.
Paganus Monachus.	10.	Febr.
Paulus, Ord. Minor. S. Francisci.	11.	Dec.
Paulus, e Societate Iesu Presbyter.	7.	Maij.
Petrus Patriarcha Constantinop.	6.	Ian.
Petrus, Ord. Eremitar. S. Aug.		
Petrus Prior, Ord. Praedicator.	3.	Mart.
Petrus, e Societate Iesu Presbyter.	19.	Oct.
Philippus, ex Agyra vrbe Eremita.	25.	Iul.
Philippus ad MontemRegalem Eremita.	21.	Aug.
Publius.	24.	Dec.
Riccardus, Ord. Minor. S. Francisci.	6.	Mart.

Sanctorus Prior, Ord. Carmelitar.
Seuerinus Episc.
Simon, Ord. Minor. S. Francisci. . 27. Maij.
Stephanus Monachus. 27. Dec.

Theodorus Monachus. 13. Oct.
Theognia Virgo. 5. Ian.

Vincentius, Coenobita S. Dominici. 4. Maij.

Xystus Ord. Minor. S. Francisci. . 22. Nou.

Hos omnes in hunc vsque diem, cognouimus in nostra Prouincia, pie vixisse, sanctèque obiuisse; atque ob vitae, mortisque claritudinem, seu diuturnitate temporis, seu iuratis Actis auctoritate Ecclesiae, priuatam venerationem meruisse. si forte aliquis nondum cognitus a me, praeteritus est, amabo vos, perscribite, Viri in Historia praeclare versati. sed is sit, qui in hoc ordine censeatur, cuius sanctitas, aut longinquitate temporis, aut iuratis testibus valescat. nam plerosque, qui centum intra annos, aut paulo amplius, ferme vixere, neque vlla Ecclesiae auctoritate etiamnunc probati, iustis de caussis, ex hoc, ceterisque consequentibus Indicibus recidendos putauimus; nullamque habendam rationem, donec vitae eorum, sanctitatisque, ac miraculorum testes, publicà fide,

aucto-

auctoritate Ecclesiae, accipiantur. Curent, rogitamus, Ciuitates, Familiae, Religiosi Ordines, quorum interest. attamen ne piorum hominum memoriae neglectu, virtutes negligi videantur, separatim commemorabimus.

AD SVPERIOREM INDICEM
APPENDIX.

Aegidius Agrigentinus, Frater Laicus Ordinis Obseruantium Reformatorum S. Francisci, situs est Agrigenti, in Coenobio S. Nicolai.

Andreas Laurentius, Camaratensis, Ordinis Obseruantium S. Francisci, obijt in Coenobio Camaratensi.

Andreas ab Aragona, Ordinis Obseruantium S. Francisci, iacet in Coenobio Camaratensi S. Mariae Iesu.

Andreas Rouettus, Frater Laicus Ordinis Obseruantium S. Francisci, in Coenobio Corilionensi situs est.

Andreas de Ronchis, Ordinis Obseruantium S. Francisci, ex Fauentia, Vrbe Italiae, obijsse traditur Messanae.

Antonia Ansalonia, ex Ansalone Saccano Vidua, Messanensis: corpus eius Messanae conditum est, in Ecclesia Domus Professae Societatis Iesu.

Antoninus Melodia, Alcamensis, Ordinis Carmelitarum, in Coenobio Gibillinae sepultus.

Antonius Agila, Siculus, Ord. Eremitar. S. Aug.

Antonius Milonus, ex oppido Ferula, Ordinis Obseruantium S. Francisci, conditus est in Coenobio Ferulano.

Antonius a Cerratana, Frater Laicus Obseruantium S.Francisci,in Coenobio Modicae situs est.

Antonius Pharaonius, Messanensis, sed Catanensis Episcopus, Catanae conditus, in aede maxima.

Antonius Aethiops, Tertiarius S. Francisci, corpus eius conditum est in Naetino Coenobio Fratrum Obseruantium S. Francisci.

Antonius Aethiops, Tertiarius S. Francisci, depositus in Calatagironensi Coenobio S. Mariae Iesu.

Antonius Tabonus, Melitensis, Ordinis Praedicatorum S. Dominici, Panhormi in Coenobio S. Citae iacet.

Archangelus Placentia, ex oppido Calatafimo Ordinis Obseruantium S. Francisci, depositus in Coenobio Alcamensi.

Athanasius de Claromonte, Monachus ex Ordine S. Basilij, Patriarcha Alexandrinus.

Bartholomaeus de Palatiolo, Ordinis Eremitarum S. Augustini.

Benedicta e Regiorum familia, Panhormitana, Abbatissa Ordinis S. Benedicti, sita Panhormi, in Coenobio sanctimonialium Immaculatae Conceptionis Deiparae.

Beni-

Benignus Romanus, Panhormitanus, Frater Laicus Obseruantium S. Francisci, quieuit in Panhormitano Coenobio S. Mariae Angelorum.

Bernarda de Monteforti, Messanensis, sanctimonialis ex Ordine S. Francisci de Paula, sita est Messanae, in Coenobio S. Eliae.

Bernardinus Girius, Brixianus, Prior Ordinis S. Dominici, conditus est in Coenobio Calatascibettae.

Bernardinus Naetinus, Coenobita Obseruantium S. Francisci, in Naetino Coenobio conditur.

Blasius Sancius, natione Hispanus, e Societate Iesu Presbyter, in oppido Politio requiescit, in Ecclesia S. Mariae de Porta.

Bonauentura Sciascia, Agrigentinus, Frater Laicus Obseruantium Reformatorum S. Francisci, depositus Panhormi, in Coenobio S. Mariae Angelorum.

Bonauentura Fracettus, ex oppido Butera, Frater Laicus Ordinis Minorum S. Francisci, in Coenobio Buterae situs est.

Bonauentura Melitensis, Frater Laicus Obseruantium S. Francisci, requiescit in Coenobio S. Annae, prope Iulianam.

Brandanus Terranoua, Naetinus, obijt Montabbodi, vrbe Italiae, in Dioecesi Senogalliensi.

Catharina Poëta, e Monte Regali, Tertiaria Ordinis S. Benedicti, quiescit in Ecclesia Carmelitarum Montis Regalis.

Che-

Cherubinus Mostacius, ex oppido S. Luciae, Obseruantium Reformatorum S. Francisci, iacet Agrigenti, in Coenobio S. Nicolai.

